



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XXIV. De Officio Archipresbyteri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

nus Jus Ecclesiasticum concedit facultatē officium suum ordinariū alteri committendi: licet alius iudex inferior jurisdictionem suam Ordinariam alteri committere non possit, per tradita à DD. in l. *Qui neque* 81. ff. de *Judiciis* Maranta de *Ord. Jud.* p. 4 n. 52. Denique Archidiaconus, licet Episcopo subordinatam, propriam tamen jurisdictionem & ab Episcopali distinctum tribunal habet; ideoque ab ipso ad Episcopum appellari potest, c. *Referente* 7. de *Præbend.* sicut

à Principum vicariis & Urbium præfatis ad Principem appellatur, Glossa in l. *C. De offic. Vicarij*: etsi ad Episcopum appellari nequeat à Vicario generali, c. *Non putamus* 2. de *Consuet.* in 6. cum hujus jurisdictione ab Episcopali indistincta, & consistorium seu tribunal utriusque idem est, c. *Romana* 3. pr. de *Appellat.* in 6. Panormit. l. *cit.* n. 2. Tuschus *conclus.* n. 20. & Laiman *cit.* n. 3.



## TITULUS XXIV.

### De Officio Archipresbyteri.

#### SUMMARIUM.

1. *Hic minor Archidiacono, & vel Urbanus est vel Ruralis.*
2. *Urbanus obtinet dignitatem.*
3. *Ejus officium & potestas,*
4. *Consuetudine passim immutata.*
5. *Ruralis nec dignitatem,*
6. *Nec fori externi jurisdictionem habet:*
7. *Nisi ex commissione vel alio jure speciali.*

1. **A**rchipresbyter, sic dictus, quod reliquis Presbyteris in his, quæ Sacerdotalis officii sunt, quasi quidam Princeps cum imperio præsit: qui, licet honore, dignitate & jurisdictione Archidiacono minor, quin ei subjectus sit, *can. 1. §. Archipresbyter dist. 25. & c. Adhac* 7. de *Officio Archidiaconi*, illò tamen major est Ordine

& Consecratione: & Natus, hoc est Jure datus Episcopi Vicarius in solemnitate celebratione Missarum, in inchoatione Officii, dandaque in eo Benedictione, & in foro Pœnitentia, prout determinatur ex *cit. & c. 1.* junctâ Glossâ 7. ubi esse Tuschus *Prætic. V. Archidiaconus conclus. 482. n. 12.* & Barbosa de *Canon. & Dignit. cap. 5. n. 42.* ubi tamen utriusque excipiendum censent Archidiaconum in Presbyteratus Ordine constitutum: cum enim talis Ordine par, dignitate & potestate major sit, Archipresbyterum etiam in Divinorum celebratione præcedet: nisi aliud exigat Consuetudo vel aliud Jus speciale.

Est autem Archipresbyter, secundum Hostiens. in *Summa hie n. 1.* duplex unus Urbanus, alter Ruralis. Urbanus sive Civitatenfis dicitur, qui præest Presbyteris in civitate Episcopali, & Decanus Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatae. Barbosa *Jur.*



bosa *Jur. Eccles. lib. 1. cap. 25. n. 6.* qui dignitatem obtinet & præminentiam inter canonicos ac presbyteros, ut ei à sede Apostolica ejusque Legato causæ possint delegari, *c. Statutum 1. pr. de Rescript. in 6. Azor p. 2. Instit. lib. 3. cap. 15. q. 7.*

3. Officium ejus est, præsentì & Divina solemniter celebranti Episcopo assistere, ejusdem absentis, infirmi aut alias impediti vices in eorum celebratione, fontium Benedictione & Sacramentorum administratione subire, curare, ut cæteri Sacerdotes Divina Officia & Missas rite celebrent, & vitam morésque ad clericalis status normam componant, clericorum & aliorum dioecesanorum poenitentium confessiones excipere, provide-  
re, ut Catechumeni instruantur, instructi baptizentur, Sacramentum Eucharistiæ adultis ministretur, infirmi sacro Oleo inungantur, & sine Confessionis Sacramento & sacro Viatico non moriantur, & similia, juxta *S. Archipresbyter cit. c. 1. c. Ministerium 2. c. Officium 3. hic* & Tradita ab Hostiensis in *Summa à n. 2.* & Barbosa *Tract. cit. cap. 6. à n. 9.*

4. Quantumvis autem, Jure spectatò, hæc ita se habeant, Consuetudine tamen, sicut Archidiaconi, sic etiam Archipresbyteri cura & potestas passim immutata & in aliquibus Ecclesiis ferè rota in alios est translata; sic enim, licet de Jure antiquo ipse haberet curam cæterorù presbyterorum, & hi ipsi quoad forum Conscientiæ internum subjicerentur, *cc. cit.* ut peccata sua confiteri alteri quàm Archipresbytero non possent, ut in *c. Officium cit.* notant Panormit. *n. 3.* & Joan. Andr. *n. 4.* vi tamen Consuetudinis sensim introductæ & cum tempore passim receptæ, Sacerdotibus aliisque clericis secularibus peccata sua cuius approbato sacerdoti confiteri licet, ut in *c. fin. Lai-*

man *n. 2.* observat: & à S. Synodo Tridentina in singulis Ecclesiis Cathedralibus institui jubetur Poenitentarius, qui dioecesanorum poenitentium confessiones audiat, *Sess. 24. cap. 8. de Reformat. Barbosa cit. cap. 6. n. 23.* Contrà, licet fori externi jurisdictionem de Jure non habeat, *arg. c. 1. cit.* in multis tamen Ecclesiis, in quibus, ut fermè in Germania nostra, per viam electionis & suffragia canonicorum constituitur, aliquam obtinet in canonicis & officialibus Capituli: imò in quibusdam Ecclesiis, in quibus Archidiaconus non est, etiam in clerum extra Ecclesiam Cathedralē, *cit. Hostiens. & Laiman Uterque n. 1.*

Alius verò Ruralis seu Forensis, qui etiam Decanus Ruralis appellatur, & extra civitatem Episcopalem curam gerit cum plebis tum etiam parochorum aliorumve clericorum, habitantium per titulos sive Ecclesias minores: circa quas ea, quæ minora sunt, sine figura iudicii disponere & decidere: maxima verò & quæ sine cognitione definitioneque iudiciali nequeunt expediri, & graviore sive poenali correctione opus habent, ad Episcopum sive Vicarium istius generalem referre debet, *c. fin. cit. Barbosa cit. cap. 6. n. 27.*

Dubium de hujusmodi Archipresbytero sive Rurali Decano est, an sicut Civitatis, sic etiam ipse habeat dignitatem & jurisdictionem. Et illam quidem sive dignitatem aut personatum eum obtinere; ac proinde sedis Apostolicæ delegatum aut iudicem Conservatorem esse posse, ex communi aliorum sensu merito negant Tuschus *Prætic. V. Archipresbyter Conclus. 485. n. 13.* Laiman in *c. fin. cit. n. 3.* & Fagnanus in *c. 1. de Etate & qualis. n. 23.* quòd nulli clericorum collegio præsit, nec præminentiam aliquam obtineat in Ecclesia aliqua Principali,

C c c c

pali,



pali, sed solum in minoribus & plebanis, *c. fin. cit. ibi, Per minores Titulos.*  
 6. Major difficultas est de jurisdictione: non quidem interni sive Conscientiæ fori; hanc enim non minus, quàm parochis aliisque curatis subiectis ipsi competere, omnes facile concedunt. Sed externi; nam etiam hanc cum Glossa *in e. cit. V. Referant.* ipsi adstruunt, *Lai-man Tract. de Jurisdic. n. 145. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 11.* quod sit vicarius Episcopi ad clerum ac populum gubernandum foris constitutus, & propterea *Clement. 2. junctâ Glossâ V. Foraneo de Rescrip.* appelletur Vicarius Foraneus: cui jurisdictionem competere *Tit. 28. à n. 30.* dicemus.

Sed verius, hujusmodi sive propriè dictam Fori externi jurisdictionem de Jure ipsi sine commissione competere, cum Zabarell. *in Clement. 1. de Prabend. q. 2. & 7.* negant Barbofa *cit. cap. 6. n. 33. & 36. & Engel ad hanc Rubr. n. 2.* quod, licet minora quædam & leviora sine figura judicii, aut cum ista quidem, sed ex Epi-

scopi jussione sive delegatione, & Cœterùm ipsius ordinationem determinare. Decanatus sui clericos officii sui administrare valeat, tamen non solum excommunicationis aut alterius censura sententiam ferre ac promulgare, & de matrimonialibus aliisque causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus cognoscere; sed minores etiam lites & controversias inter Decanatus sui clericos aut alios ortas judicialiter definire, aut monachos inobedientes aut aliter delinquentes clericos poenâ coercere non possit: sed *par-ta c. fin. cit. ad Episcopum referre, ibi eoque ordinata exequi teneatur, ut in e. cit. notat Panormit. n. 1. in fine & à Rota decisum, refert e. cit. Barb. à n. 11.*

*Dixi de Jure;* quia non tantum de delegatione & privilegio, sed condicione etiam jurisdictionis ipsi in foro externo competere potest, *arg. c. Dilecti 4. de Arbitr. & c. Cum in Ecclesiis de Officio Ordin.* ubi eam plebanus obtinuit; hujusmodi Jure speciali, ut *notat Barbofa n. 3.*



TITULUS XXV. VI. & VII.

De Officio Primicerii, Sacristæ & Custodis.

SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. Nominis Primicerii etymon,</li> <li>2. Et officium.</li> <li>3. Dignitatem quidem obtinet:</li> <li>4. Sed sine jurisdictione.</li> <li>5. Derivatio &amp; notatio nominis Sacristæ</li> </ol> | <ol style="list-style-type: none"> <li>6. Eiusque officium;</li> <li>7. Quod hodie Officium &amp; alicubi Dignitas est.</li> <li>8. Custos de Jure Sacristæ ministrat.</li> <li>9. De consuetudine idem cum eo est.</li> <li>10. Et alicubi obtinet Dignitatem.</li> </ol> |
|--|--|

Primicerii